

Auctores Graeci.

Plutarchus

Plutarchi Chaeronensis de
liberorum educatione
libellus Joanne Meibero
interprete.

Crae. ap. Hier. Victorem.

1528.


Biblioteka Jagiellońska.



II. A. 13.

Manuscript No 188

logum
mata
maticas



101

CIMELIA

II. a. 13.

PLVTAR=

CHI CHAERONENSIS, DE
liberorum educatione Libellus,
Ioanne Metzler interprete.

PRAELECTIO EIVSDEM IN
Libellum Plutarchi, de Libe-
rorum educatione.

Cracoviae apud Hieronymum Victorem,
Anno domini M. D. XXVIII.

BIBLIOTE. UNIV.



JAGIELLOŃSKA

Crim. C. 401

INCLYTAE

VRBIS VRATISLAVIENSIS

Senatui prudentiss, Ioannes Metzler.

S. D.

Cum multis in negocijs, tum in instaurandis scholis
singularem uestram in Repub. gerenda curam &
prudentiam perspexi. Etsi enim tot & tanta pericula Reipub.
nostrae imminere uidebantur, ut nisi omnes totis ani-
mis ac uiribus in muniendam urbem & res bellicas pa-
randas incumberemus, pereundum nobis esset pleriq; pa-
lam destitarent, uos nihilo minus uisitati crudientiae ni-
hil praeuerti uoluistis. Praeuidebatis enim illis studiosissime
etiam, paratis, non nisi bellias incommodis occurri, in hac
aetate autem bene constituta omni tempore prouideri. Huius
tam salubris Reipub. instituti, ne ego expers essem, studiũ
& conatum uestrum pro mea uirili parte adiuuadum pu-
taui. De eorũ cogitanti non est commodius in praesentia
quicquam uisum, quã si publicae Plutarchi philosophi &
oratoris grauisimi de liberorum educatione libellum grae-
ce praegerem. Ita enim futurum, ut iuuentus nostra graecã
discret linguã, & simul cũ animi eorum optimis monitis
ac praecipis imbuerentur. Dum id ago, praelectioniq; li-
bellum legens & relegens, me apparo, facio eum latinum,
non in hoc ut in publicam eaderetur (nam audiueram antea
ab alio translatum, quem postea Guarinum Veronensem,
hominem sanẽ doctũ, esse cognoui) sed ut in utraq; lingua,
ubi à nego

P R A E F A T I O .

ubi à negocijs forensibus uacarem, me exercèrem, atq; à
 miàs nonnullis, qui quæ ille prææperet, latine ex me intellis-
 gere uolebant, satisfacèrem. Eorundem flagitatu iam nunc
 consilium & sententiam mutare, ac quod mihi atq; illis
 solis paruèram, uulgare cogor. Ego qui meæ imbecillita-
 tis mihi sum conscius, Heros illum etate & eruditione
 me longe superantem in hoc munere à me uinci posse nunq̃
 animum induxi. Mallem mea premere & continere do-
 mi, illi uero non sinunt, instant, suadent, rumpendum esse
 silentium, & uela uentis aliquando danda, id quanquam
 grauate faciàm, obsequar tamen eis, etiam cum nominis ia-
 ctura, potius quam me officio egressum quisquam uel falso
 insimulet. In hac re me etatis nostræ ingenium non nihil
 consolatur, ac penè dixerim corroboratur, nam ut est nouas-
 rum rerum studiosissimum, spero nonnullos interpretis
 nouitate allectos, libellū lecturos, ut ita saltem eorū animis
 nonnihil de præceptis istis saluberrimis uel inscientibus
 insuat & perpetuo inhaereat. Deinde, quia id exemplo
 aliorum faciò, excusate fieri arbitror, fecerunt sæpe idem
 alij, atq; in uno autore uertendo se occupauerunt. Iuuat in-
 geniorum diuersitas lectores, quæ forte hic quoq; studiosos
 delectabit, ueruntamen querendus mihi cum sit de more
 patronus, sub cuius tutela hic noster labor in publicam pro-
 deat, cuius autoritate nixus, ab inuidorum calumnijs tutus
 esse possit, non est mihi quisquam commodior uisus quam
 uos uiri Prudentiss. quibus præcipua cura liberorum edu-
 catorum uidetur, & quorum fidei regia ælstitudo duos
 duceat (ita nunc loquimur) administrandos & tuendos

PRAEFATIO:

dedit. Eum igitur, qualis qualis est, uobis dedico, ac pro-
uestra in me singulari beneuolentia ab omnium iniurijs uina-
dicandum trado. Et quo libellus commendator in publicum
prodeat, praelectionem in eius enarratione habitam, ad-
iunxi. Quod si hanc meam operam à uobis probari intel-
lexero, persuadebo mihi utilem eam in commune fuisse,
atq; ideo non dubitabo deinceps in alijs etiam publi-
cum subire iudicium. Valete opti. Ex Vras-
tula. Calendis Ianuarijs. Anno-
M. D. XXVII.

PRAELECTIO IN LIBELLVM Plutarchi, de liberorum educatione.

Non me fugit, futuros esse nonnullos, Ciues, qui cō-
siliū & institutū praesens meum calumniati repre-
hendant, rati nimirū neminē tam excordē, tam stupidū, tam
insanum reperiri, qui nesciat liberos educari oportere. Ego
uero, quid amās, quid auibus, quid ipsi deniq; patriae, quae
me exæpit, debeam memor, de eo nihil neq; minuam, neq;
mutabo. Et si enim res omnibus cognita atq; à natura indi-
ta uulgo iactetur, cum tamen rem ipsam intueor, & quid
parentes praestent considero, inania quaedam uerba fundi,
& facta cum eis minime congruere, uideo. Ex labris sane,
non ex pectore, omnis istorum sermo fuit ac profusatur.
Operæ praeciū igitur me facturū esse duxi, si quae utilis, immo quae
necessaria sit recta liberorum educatio & institutio ad-
uocandam, atque in memoriam reuocandam, neq; enim tantope-
re alia

PRAEFATIO

re alias occupatis omnia sua sponte occurrunt. Quin ad
 monitore quandoq; est opus, qui parentum animos excitet
 ac cohortetur ad curam liberorum suscipiendam: quae pro-
 fecto, non in dictis speciosis posita iacet, sed studio, diligen-
 tia, ac labore consistat. Id ut uobis quā pauāssimis exhibe-
 am, curabo, uos modo auribus & animis ea accipite.
 Quod si feceritis, non dubito, quin ad uos liberosq; uestros
 maximus fructus sit rediturus. Cogitāti mihi tres in liberis
 aetates obuia fiūt, quae praeter ceteras educationē institutio-
 nemq; requirunt, infantia, pueritia, adolēscētia. Eas sin-
 gulas, quo oratio fiat clarior & apertior, separatim exe-
 quar & tractabo. Rerum omnium conditor, quoniam uniu-
 uerso animantium generi procreandi appetitum inesse uo-
 luit, eorum quoq; animis, praecipuum amorem procrea-
 torum curamq; singularem immisit. Prospexit enim quā
 imbecilli atq; omnibus uiribus nudi recens editi partus fu-
 turi essent. Eis sane quin percundum foret, nisi parentum
 pietas succurreret, eorumq; miseriam & imbecillitatem
 subleuaret, quis non uidet. Ne uero aliquid desiderarent,
 mammas etiam cuius parienti largitus est & indidit, neq;
 eas unas modo, sed pro numero, ad quem fere parere con-
 sueverunt. In hoc munere obeuado officiosissima esse bruta
 cognoscuntur. Aedito namq; pariu, suū defraudare Geni-
 um, ipsaq; alimentis carere malunt, quā quid natis deesse
 uideatur. Exemplum requiris? in promptu est. Nōne gal-
 linas, grana & aanos summo studio quēsitos & scalpuri-
 entibus unguis ē terra erucos, non ipsas quidem absume-
 re, sed pullis edendos exhibere uidemus? Ac quanto etiam

PRÆFATIO.

conatu aduersum uultures & miluos pullis imminentes de-
 certent, cuius est uisum & cognitum. Eandem in cæteris
 brutis naturam ac conditionem aduertimus, neq; eius ex-
 pers lupa omnium alioqui animantium rapacissima. Quin
 intelligimus bestias nonnullas sub lactandi tempus ingeni-
 um mutare, & quæ acures & mansuetæ esse soleant, fera-
 rum immanissimarum ritu in obuios ferri ac mordias ar-
 ripere & quibus alioqui quiduis abariorum recte com-
 mittas, tum conditoria effringere, omniaq; deuorare. Tan-
 tus est eorum in procreata amor. Quem si intuemur, quid
 obsecro homines facere oportere statuemus? Mæa quidem
 sententia, hoc munus tanto matore studio & diligentia ex-
 equentur, quantum cæteris præstare animantibus existi-
 mantur, neq; enim eos solum impetus quidam à natura tri-
 butus, ut illa eo trahet, sed ratio quam præcipuum habent,
 flectet & deducet certam uelut uiam indicans & præscri-
 bens. Tum si pietas existimatur misero & inopi subuenire,
 atq; ab eo iniuriâ propulsare, multo maior diâ & haberi
 debet, si quis innocenti, omnibusq; uiribus destituto opem
 ferat. An uero infante humano quicquã diâ aut fingi po-
 test innocentiùs uel miseriùs? nõ opinor. Nõ est ex animan-
 tibus ullum, quod nuper natum ita imbecillum & infir-
 mum reperiatur, immo, si uerum fateri libet, sine omnibus
 est uiribus. Dedit natura cæteris animantibus, ut simul
 atq; producta sunt in lucem, aut pauca saltem post diebus
 uel hebdomadis ipsa uestigia ponant, è stercore se euolu-
 uant, abum captura ad matres repant & accedant. Atqui
 nihil istorum in humano infante reperias, iacet in cunis
 loco se

PRAEFATIO.

loco se mouere nequiens, neq; ullo signo, nisi uagitu, nunt
quid ei desit, indicare potest, atq; etiamsi se uagendo rum
pat, necdum tamen certum quid uelit & cupiat, nisi id pa
rentes coniectura assequantur. Quorum cura & sollicitudo
si eis non succurrat & auxilium afferat nihil commertis,
immo adeo innocentibus, ut eorum effigie innocentia ipsa
referatur, in suis ipsorum sordibus misere est pereundum.
Quo quid possit esse miserius & calamitosius? Icaro ali
eni quoq; nullo neq; sanguinis, neq; necessitudinis iure de
uincti, etatis tam miserae atq; innocentis curam sibi suscipi
endam putauere. In eo laborant praetores & Iurisconsulti,
horum edictis uel interpretationibus eis prospiciatur, orbis
etiam parentes alij, qui eos alant ac tueantur, queruntur.
Neq; haec prouida cuius temere committitur, sed cum cau
sa cognitione, ac certa quodammodo uia & ratione praes
cripta. Solet quoq; infantia hostibus misericordiam moue
re & exprimere, ut ab eis manus uiolentas abstineant, ip
sorumq; causa parentibus nonnunq; parcant. Sin autem se
cus fiat, nemo est quin clamitet nequiter atq; immisericor
diter esse factum. Quare si à brutis homines, ab alienis pa
rentes, ab hostibus aues & amia, amore, pietate, ac miseri
cordia uina & superari nolumus, est nobis dies, noctesq;
cogitandum atq; enitendum, quo infantum corpora & a
nimos bene & recte curemus. Nam quorsum pertineret,
liberis quidem dare operam uelle, procreatorum autem
corpora & animos ab ineunte aetate negligere, ac uirtuti
non assuescere. Nemo sibi persuadeat, ineptam praepu
sionibus capiendis aetatem istam esse, bimuli nanq; & tri
muli uid: n s

PRAEFATIO.

multi uidentur inapere, sentire, atq; intelligere. Ceterum, ne rem in immensum producam, ex his quid sit factu opus, uos intellexisse, opinor, iam ad pueritiam transco, in qua tanto maior cura & sollicitudo à parentibus exigitur, quanto animus omnium calculis corpori præcellere iudicatur. Et si enim in puerili ætate constituti fieri possunt & uestigia ponere, necdum tamen uictui amictuiq; parando sufficiunt, cum igitur à parentibus capiant, est necesse. Tum etiam ad uirtutem institui, atq; ad bene beateq; uiuendum parari debent, ad quod optimis opus est præceptoribus, eos pueri per ætatem sibi inuenire nequeunt, Nam talem ingenij adæm non habent, ut quæ prosint cernere, atq; ipsi sibi consulere possint. Vicariam igitur eis dent operam parentes, illorum infirmitati succurrant, præceptores optimos inquireant. Siquidem in hac parte fuerint negligentiores, omnem laborem, omnem operam in infantia se frustra, & ne quicquam suscipisse sciant. Quæ in apte atq; institute, morum animorumq; formationes, id temporis sunt prosequendæ. Est enim hæc ætas præceptionum aptissima, & tenacissima. Quicquid eidem in seueris, eius fructus producat, ac per omnem præ se fert uitam. In his annis nisi recti instituantur, necessario reliqua uita turbulenta, & sine certa ratione uagatur. Præterea, nemadmodum arboribus, ubi iam aliquid quantulum creuerit, ne curue & tortuose fiant, pali adiunguntur: sic pueritiæ necessario præceptores & institutio recta adhiberi, ac uelut sociari debet, irretuntur alioqui animi eorum uitijs ingentibus, in quæ hominum ingenia à natura procliuia deprehenduntur. Et perinde ut ager non
 ita bonus

PRÆFATIO.

Ita bonus cultura fit melior & feratior: contra, optimus
 quisq; si negligatur deterior. Sic puerorum animi, si recte
 colantur, præstantiores atq; ad omnem uirtutem commodio
 res: sin autem neglecti iaceant, ad omne negotium planè
 inutiles efficiuntur. Ita fit, ut si qui forte sint natura hebeti
 ores, hi curatione acuantur: nihil enim est, quod arte &
 consilio corrigi & emendari nequeat. Atq; adeo, si animi
 oculosq; a raanferas, persæpe, quæ arte sunt confecta, fir
 miora esse solent, quàm quæ natura tribuit & largita est.
 Quid multa, maximum in pueris momentum institutio ha
 bet, testem asserre possum sapientiss. Lacedæmoniorum, le
 gislatorem Lyargum, qui quo pacto idipsum in catulis, suis
 is aibus ostenderit, res est uulgatior, q̄ quæ recitari de
 beat. Comprobant idem tum Resp. bene constitutæ, tum
 Romanorum prinâpum decreta. Illæ enim domos huic
 ætati erudiendæ destinatas semper, ac præceptores maxi
 mis stipendijs conductos tenuerunt: isti uero immunitates
 domibus præceptoribusq; multas easq; non contemnendæ
 dederunt, ita quidem & pueros & magistros ad hoc mu
 nus Reip. saluberrimum excitare ac prouocare uoluerunt.
 Tum etiam prauatis publico exemplo ostendere, ac uelut
 præscribere, quid in pueris fieri postulent, & requirant.
 Neq; uos Ciuēs optimi, alio consilio prudentissimum huius
 inclytæ urbis senatum ludos literarios, nesão quorum ma
 leuolentiss. studijs & machinationibus, plus quàm insidiosis,
 collapsos, instaurasse putetis, id sanè, quod dixi à uobis ex
 pectant. Nouerunt enim, nouerunt, in hac ætate, bene &
 recte educata atq; instituta, multum esse positum, & qualis
 B ea fuerit,

PRÆFATIO.

ea fuerit, tales habituros parentem liberos, tales magistratus dūes. Rem magnam agi uidetis, nolite obsecro uestri & Reipub. obliuīsa, sed quo uos omnium utilitas uocat, non grauate sequamini. Restat, ut de adolescentibus nunc dicam, quæ quidem ætas quãq; & animo & corpore firmior esse uideatur, nihil tamen uel frenis, uel calcaribus æque eget. Etenim nullis se teneri legibus putant, quicquid eorum colubritum est animo, id licitum esse arbitrantur, atq; ut pauca rem omnem eloquar, omnibus uoluptatibus, omnibus animi perturbationibus obnoxij succumbunt, dies noctesq; potant, conuiuantur, amant, scortantur, alienas uxores sectantur, atq; id genus flagitia multa, quæ nunc non est narrandi locus, designant, ac tum se non poenam, sed laudem meritos existimant, ita est eorum peruersum ingenium. Ex quo, nisi parentum atq; ab his questorum magistrorum consilijs optimis subleuentur ac corrigantur, in eiusmodi uitijs non solum adolescentiam, sed reliquam uitam uniuersam transigunt, neq; ullo pacto postea in uiam reuocantur. Nulla præterea ætas pluribus mortis casibus exposita, nulla facilius in morbos incidit, nulla grauius ægrotat, nulla tristiū curatur. Eaq; est causa, quamobrem pauca ad senectutem ueniunt. Gloriat̃ Cyrus moriens, se nunquã sensisse senectutem imbecilliõrem factam q̃ adolescentia fuisset. Quod causse obsecro fuit? profecto nihil aliud, q̃ adolescentia bene acta, cuius similis senectus esse solet, nullis sanẽ grauis nisi adolescentēs uita solutore fuerunt. Et quanto nobis commoda uel incommoda maiora ex adolescentia oriuntur, tanto in ea cura & opera maior uideatur po-

PRAEFATIO

detur ponenda: parem enim morbo medianam adhibere
 conuenit. Præterea quàm sit necessarium eius ætatis curam
 suscipere, non solum philosophorum monumenta præscri-
 bunt, uerum etiam omnia omnium concediarum argumen-
 ta declarant. In his enim uel parentum nimia facultas, uel
 adulescentulorum in uita proclue ingenium ob oculos po-
 nitur. Quo consilio: ut hoc pacto tanquam publicæ rei per-
 acti per ora hominum traducantur, atq; istam infamiæ
 notam ueriti, deinceps uita odisse incipiant. A dde ius ciui-
 le & honorarium, quod sub curatoribus maiores uiginti
 quinq; annis esse iubet, eorumq; imprudentiæ per in in-
 tegrum restitutionem succurrit. Postremo, quid Græcæ ciui-
 tates in eo nobis uelut præscripserint, considerate. Institue-
 runt palæstram, aliaq; item certamina, quibus hæc ætas
 occupata ab oïo, omnium flagitiorum segete, arceretur.
 Amat nanq; oïum, labores, nisi à parentibus coacta, resue-
 git. Hæc secati, ænseo, ut quisq; q̄ potest maxime conetur,
 atq; elaboret, quo flos ætatum omnium bene & recte com-
 ponatur, alioqui nihil profuerit in pueris & infantibus
 curandis diu maltumq; desudasse. Facite obsecro, ut soluti
 hoc à uobis officium liberi ferant, ac uos laborum fructus
 dulcissimos tandem capiatis. At qui uideor mihi uidere, &
 audire ex uobis nonnullos capita conferentes, dicere. Non
 es Mecælere defunctus officio tuo, nisi etiam modum & ra-
 tionem aperias, qua infantæ debilitati, pueritiæ infirmita-
 ti, adolescentiæ feroçitati succurratur & consulatur, neq;
 enim satis est, si medicus morbum detegat, eiusq; uim &
 magnitudinem ostendat, quin quæ eius mali sit medicina,

PRAEFATIO

etiam doceat, oportet. Rem magnam à me, & uiribus meis
 imparcm postulatis. Non sumo mihi tantum ingenij acu-
 men, quod hæc sua sponte inuenire possit, neq; mihi sunt
 tot anni, ut me id experientia docuerit. Quid igitur faciam,
 an semper audiam querelas uestras, quod uos in medijs flu-
 ctibus destitutos reliquerim? Ad Deos confugiam, uota fa-
 ciam, eos precabor, forte nos aliquis respiciet. Bono este a-
 nimo, misertus uicem meam uestri Plutarchus Charonen-
 sis suam operam nobis pollicetur. Bono inquã este animo, is
 pro me respondebit, qui doctissimorum facile princeps est
 habitus, atq; ob eam rem tam charus Traiano, ut eum cõ-
 sulari dignitate honestaret, edictoq; caueret, ne quid in Il-
 lyrico nisi de Plutarchi sententia ageretur. Ac quãquam
 multa egregia ingenij monumenta reliquerit, attamen hæc
 uel scio an non primas teneat de liberorum educatione li-
 bellus, quem uobis ut græcæ prælegerem Deus Opt. Max.
 iam in mentem dedit. Non ita multa complectitur folia, sed
 dignus sanè est libellus, quem parentes, quem liberi in
 corde inscriptum se cum semper gestent, cuius præceptis &
 consilijs obsequantur atq; obediant: hi quidem, cum ut græ-
 cam discant linguam, cuius cognitio quantum conferat, &
 quã utilis sit, alias est dictum. Tum ne toti ex parentibus
 pendeant, sed in se quoq; consilij & auxilij nonnihil re-
 positum habeant. Illi uero, ut si forte ad rem faciendam sint
 attentiores, ne quod eos recte institutionis liberorum pau-
 cis admoneat, desiderent. Cuius maior est habenda ratio,
 quàm ullarum diuitiarum & opum liberis relinquenda-
 rum. Qui se cas faciunt, persimiles mihi uidentur ijs, qui cal-
 ceos curant,

PRÆFATIO.

eos curant, pedes ipsos negligunt, cum eis tuendis sint calo
 rei inuenti. Sapiēter itaq; Crates ille antiquus conscensa ur-
 bis æditissima parte exclamandū censuit. Quoquo ferimio
 ni ciues, num conuenit, in opibus parandis maxime occu-
 pari, de liberis, quorum causa quærentur, nihil laborare,
 minime esse sollicitos. Credite mihi, non potest melior hæc
reditas liberis relinqui à parentibus, quam si bene educati,
 atq; ad uirtutem recte ab ineunte ætate sint instituti, hoc eis
 perpetuo manet patrimonium, neq; à fortune procellis la-
 befactari potest. Quoniam uero is, quæ dixi, libellus bre-
 uissime factus meq; eo deducit, uos hortor & obsecro, ut in
 eius enarratione frequentes adesse, diligenter audire, ac si
 de summa atq; optima quæ grauis, marum magister præ-
 ceperit, animis uestris committere, & ad rem cõferre, ue-
 lias, de me hoc uobis polliceor, summo studio &
 conatu maximo annixuram, ut uos, seu pa-
 rentes seu liberos me interpretantem
 audiuisse, minime pœnitere
 possit:

Dixi.

PLVTAR

CHI CHAERONENSIS DE
Liberorum educatione
Libellus.

AGite, intendamus animum atq; experiamur, eca
quis de ingenuorum liberorum educatione disse
rere, & qua usi ratione probi moribus euadant, aperire
possit. Ac fortassis optimum fuerit, si ab eorum procrea
tione exordiamur. Qui clarorum liberorum parentes esse
student & cupiunt, hos ego admonitos uelim, ne timere cū
quibusuis consuecant mulieribus, meretricibus dico &
pelliabus. Nam quorum ortus uel de patre uel de matre
culpari potest, eos perpetua natalium probra per omnem
etatem sequuntur, presentemq; carpenti conuictandiq; au
pidis materiam præbent. Docte igitur & sapienter poëta,
qui dicit, Siquidem generis fundamentum recte non est ias
ctum, nati necessario sunt infelices. Est sanè natalium ho
nestas & splendor uelut thesaurus liberi loquendi. Cuius
præcipuam curam & rationem habere debent, qui legitime
proli dant operam. Quorū enim genus aduiterinū &
quasi suberatum, eorum studia quoq; ac conatus uacillare,
inerti atq; abiecti esse solent. Hinc bene locutus uidetur
poëta inquitens, in seruitutem rapit, quantumus sibi fidens
tem, mens conscia paternorum maternorumque criminum.
Contra uero insignes atq; inculpato nati parentes, fastus
implentur & fiducia, seruit itaq; Diophantum Themisto
clus filium

PLVTAR. DE EDVC. LIBER.

elis filium palam dicere solitum. Quicquid ipsi libitum
 esset, idem populo Atheniensi probari. Nam quod ipse
 uellet, matrem etiam uelle: quæ mater, itidem & patrem:
 quæ uero Themistocles, ipsum quoq; populum Athenien-
 sem uniuersum. Sunt præterea Lacedæmonij ob magnan-
 mitatem merito laudandi. Nam Archidamum regem suum
 matrimonio sibi mulierẽ parue stature uingentem, grandi-
 ære multauerunt, affirmantes eum hoc facto regnis, non
 regibus propagandis & exhibendis studere. Consequens
 autem forte fuit de his dicere, quæ neq; à maioribus no-
 stris neglecta uidemus. Quid istuc rogas? Illos nimirum,
 qui prolis causa cum mulieribus uiuunt, uel omnino uini
 abstemios, uel illo modice usos concumbere debere. Vinosi
 enim atq; ebriosi effiã solent, quorũ sationem patres ebrij
 fecerunt. Ideoq; Diogenes adolescentulum stupidum ac desie-
 pientem uidens. Adolescentens, inquit, pater te dum ebrius esset
 seuit: hæc de ipsorum procreatione sint dicta, deinæps quo
 pacto educari debeant, uidetur dicendum. Vt pauis atq;
 in uniuersum loquar, quod de scientijs & artificijs paran-
 dis uulgo iactari consueuit, idem de uirtutibus acquiren-
 dis est adstruendum. Vt actio recta & perfecta ui-
 deatur, tria concurrere oportet, Naturam, Rationem,
 & assuefactionem. Voco autem rationem disciplinam dis-
 scendiq; modum: Assuefactionem uero exerationem: dis-
 cipline tribuuntur initia, exerationi usus. Ex omnibus
 istis consumatio perfectioq; constat. Ideoq; si quid isto-
 rum abest, uirtus ut claudiet manaq; sit, necessario sequi-
 tur, Est enim natura, si disciplina & studium non accedat.

PLVT. DE EDVC.

simila
 eam quiddam, quemadmodum & disciplina sine natura
 ra adminiculo res per se minime sufficiens, atq; exercitatio
 sine ambobus imperfecta. At uero perinde ut in agricolaz
 tione primum omnium solum bonum expetitur, tum agricola
 peritus, deniq; semen idoneum ac minime fatuum, sic
 quoq; in presenti negotio usuuenit & accidit. Terre astia
 mulatur ingenium, Agricola praepior, semini, praepios
 num traditiones. Ea quidem omnia contenderim coniuncta
 fuisse, ac uelut conspirasse in omnium, qui passim celebra
 tur, animis, Nempe, Pythagorae, Socratis, atq; item alio
 rum, aeternam qui sunt consecuti memoriam Beata res exis
 stimatur & diuina, si Deus quispiam uni haec omnia si
 mul largiatur. Si quis autem putat, non ita felicia ingenio &
 natura bona praeditos, recte tamen ad uirtutem institutos
 atque exercitatos: quod naturae abest, nequaquam sarare &
 emendare posse, is sciat se multum atq; adeo tota aberrare
 uia. Naturae bonitatem & praestantiam corrumpit socra
 dia, stupiditatem & uitia emendat, ac corrigit institutio,
 neq; quicquam tam facile, quin e negligentium manibus el
 labatur. Contra quaeq; difficillima, cura & diligentia asse
 quitur. Enimuero, quanta cum facilitate labor ac diligentia
 res omnes expediat & consiciat, arimum si arcumferas, in
 multis cognosces. Silla saxum cauat, frequens manuum con
 trectatio ferrum atterit. Rotae curuatura ui & labore in
 flexe, nullo pacto etiamsi opus sit, pristinam rectitudinem
 recuperare potest, neq; incurui hustrionum baculi corria
 guntur. Quin ea quae natura dedit, ab artificiosa & pre
 ternaturali acratione confectis uincuntur. An uero haec tan
 tummodo

LIBERORVM.

eummodo vim & præstantiam diligentia indicant? Minime,
 sed sunt præterea alia infinita. Solum quanquam per se sit
 bonum, si tamen negligatur, corrumpitur & sterilefat, im-
 mo quo est natura præstantius, eo per negligentiam inau-
 tum fit deterius. E regione, quod est plus æquo asperum
 & horridum, id exaltū, egregios producit fructus. Quid
 arbores? an non neglectæ, tortuose fiunt & sterilefunt?
 si uero recte curentur, efficiuntur feraces, & fructiferae?
 Nonne robur corporis per socordiam, delitias, paruaq;
 uiuendi rationem, uelut partus abortiuus perit, atq; euane-
 scit? Quis autem tam imbecilla est natura, qui exeratatiōe
 eam nõ firmet, ac corroboret? Qui præterea equi, si recte
 domantur, infessori non fiunt morigeri: & qui in-
 domiti, dura æruis ac feroes non euadunt? Neq;
 de alijs mirari oportet, quando feræ quoq; ferociss.
 multas labore & industria hominū ciuitas ac mansue-
 factas uidemus. Vnde Thessalus quidam interrogatus, qui
 nam ex Thessalis essent mansuetissimi, apte respondisse ui-
 detur, qui arma deposuissent. Sed quorsum attinet, multis
 immorari, mos & consuetudo non nisi longo tempore in-
 duatur ac confirmatur, cuius si quis uirtutes, quæ mores re-
 spiciunt, similes esse dicat, nequaquã errare uideretur. Cæ-
 terum, ne de his longior fiat sermo, dicendi finem faciam, si
 modo unum exemplum prius addidero, Lycurgus Lace-
 demoniorū legislator, cum duos sibi cætuos ex eisdem pro-
 creatos parentibus, educandos sumpsisset, nequaquã fecit
 similes, reddens alterum gulæ, & luxus studiosum, alterum
 uenationi aptum & idoneū. Congregatis autem aliquando

PLVT. DE EDVC.

Lacedemonijs, Magnū, inquit, momentum ad uirtutē possi-
 dent, uitæ ratio, educatio, præcepta, & assuefactiones, quam
 rem uobis illico palam faciā. A ductos catulos in medio
 constituit, æq; regione eorum ollā & leporem: hi ubi sunt
 soluti, alter quidem celeri cursu ad leporem contendit, alter
 uero se ad ollā proripuit. Sed quia Lacedemonij conijcere
 nequibant, quid sibi hoc spectaculo uellet, ac quamobrem
 catulos istos in publico exhibuisset. Sunt ambo isti, inquit,
 ex eisdem parentibus, diuersam uero nacti educationem,
 hic quidem gulosus, ille autem uenaticus euasit. De uitæ ra-
 tionibus & consuetudine hactenus, sequitur, ut de nutrien-
 di ratione differamus. Mea quidem sententia matres ipsæ
 infantibus mammas dabunt, eosq; lactabunt & nutriēt.
 Hoc enim maiore cū affectione ac cura exequentur, ut quæ
 quasi ex ipso usq; utero, & quemadmodū in prouerbio est,
 a teneris unguiculis liberos ament & diligunt. Nutricæ
 uero atq; alumne, quasi ascatam & supposititiam beneuo-
 lentiam exhibeant: mercede enim ad amorem alliantur,
 & perducuntur. Ipsa quoq; natura declarat matres ipsas
 debere suos foetus alere, & nutrire. Nā eā ob rem cuius,
 quod foetum edit, amant, lactis alimentū suppeditat. Nec
 minus sapienter prouidentia uniuersæ mulieri duas mam-
 mas indidit, nullam sanè ob causam aliam, quàm ut si ge-
 mellōs peperisset, duos quoq; alimonie fontes haberet.
 Præter ea hoc pacto multo beneuolentiores, amiaioresq;
 liberis efficiuntur. Neq; iniuria, magnum enim uinculum
 beneuolentiæ, conuictus, societas, & conuictio. Nam & fe-
 ras si ab unâ educatis pastisq; seiunguntur, earum desiderio
 teneri

LIBERORVM.

teneri aduertimus. Conandum igitur in primis matribus esse arbitror, ut dixi, quo ipse liberos nutriant, alantq;. Quod si nequeat, uel propter corporis imbecillitatem, quod sepe contingit, uel quia ad alios procreandos festinant, non erunt tamen queuis obuia nutrices capiendæ, sed quantum potest, quæ honestæ atq; idoneæ probabuntur. Ea sit primum Græcis prædita moribus, quemadmodum enim corporis membra ab ipsa statim natuitate, ut recta, minimeq; curua nascantur, formare necesse est: ita puero- rum mores ab ipso quoq; initio componere conuenit. Iu- uentus enim mollis est formatuq; facilis, ac teneris adhuc eorum animis disciplinæ quasi inseruntur, obdurata uero difficulter liquefcant, ut enim molli aræ sine magno nego- tio signum imprimitur, ita in puerilibus animis disciplinæ formantur. Diuinus itaq; ille Plato diligenter mihi uidetur nutrices commone- re, ne omnis generis fabulas & sermo- nes coram pueris proferant & loquantur, ne scilicet in ip- so statim limine atq; ingressu animos eorum stultitia, pra- uitateq; imbui contingat. Nec minor est in bene monendo Phocylidis poëtæ conatus, cum inquit, Par est, ut in pueris- li etiam constitutos etate honesta doceamus. Illud quoq; mi- nime omitendum, seruulos, qui alumnis sunt subseruituri, atq; ita unâ uicturi, præcipue querendos esse moribus, probos & honestos, atque eos etiam Græcos, lingueq; ex- pedite, ne cum barbaris exerati, & malis moribus præ- ditis, aliquid utij eorum concipiant & contrahant, haud inepte prouerbio celebratur, Si cum claudio cohabitares, clau- dicare discas. Vbi adoleuerint, in pedagogorum potestâ-

PLVT. DE EDVC.

tem tradantur, curaq; tum adhibeatur exactissima, ne im-
 prudentes atq; ignari, liberos mancipijs, uel barbaris, uel
 inconstantibus commitamus. Etenim quod hoc temporis à
 multis fieri intelligimus, est quidem res supra modum ri-
 dicula. Siquidem quos habent bonæ frugis seruos, ex his ali-
 os faciunt agricolas, uel nautas, alios mercatores, scenera-
 tores, uel dispensatores. Et si quod reperiunt mancipium
 uinosum, gulæ deditum, atq; ad omne negotium inutile, ei
 liberos sponte offerunt, & committunt. Talem natura es-
 se oportet pædagogum bonum, qualis Phœnix Achillis
 præceptor fuisse traditur. Iam ad illud, quod omnium est
 maximum & primum explicandum uenio. Nempe incul-
 patos uita ac moribus, atq; expertos præceptores liberis
 conquiri debere. Fons enim est, & uelut radix futuræ ho-
 nestatis, si quis rectam & legitimam nascatur institutio-
 nem. Ac quemadmodum agricolæ plantis & arboribus
 uallos adiungunt, sic præceptores boni morita & præcep-
 ta summa cum diligentia iuuentuti, quo mores eorum res-
 ecti crescant atq; euadant, adaptant. An non igitur merito
 desputes nonnullos parentū, qui priusquā periculum ullum
 de nato instituturo faciunt, nonnunq; per imperitiā, nonnū-
 quā quod rerum nullam experientiam teneant, ignobilibus
 & obscuris hominibus, uel etiam infamia notatis, eos
 tradunt ac commendant? Quod si per imprudentiam ac-
 cidit, non est ita ridiculum, illud uero per absurdum. Quid
 istuc inquis? aliquando etsi cognitam habeant, atq; adeo
 sentiant & intelligant id ipsi melius quàm eis dici possit,
 quorundam magistrorum imperitiā malitiāq; nihil
 ominus eis

simile.

LIBERORVM.

ominus eis parentes liberos concedere. In hanc fraudem impelluntur, uel gratis ac iucundis adulationibus uicti, uel amicorum precibus obsequuti. Et qui in hac parte se dant amicorum uoluntati, simile quiddam faciunt, perinde, ac si quis corpore male habens, amico gratificaturus relicto medico perito, qui artis auxilio eum sanare queat, alium capiat, qui per imperitiam perdat: uel relinquat nauis gubernatorem optimum, sequaturq; ad amica preces pessimum. Sum ne Iupiter, Dijsq; omnes, an qui patris nomine est preditus, pluris faciat rogantium atq; intercedentium preces quam filiorum institutionem? Profecto merito & non abs re Crates ille antiquus dixisse uidetur, qui, si fieri posset, consensa editissima urbis parte intentissima uoce exclamatum ænsuit, Obsecro mortales quo serimini, qui quidem in re facienda custodiendaq; omnem curam & diligentiam absumitis, Liberos autem, quibus ea estis relicturi, parui penditis. Equidem ego addendum puto, quod huiusmodi parentes simile quiddam committere arbitror ijs, qui calceamenta curant, pedes ipsos negligunt. Eò auaritia nonnulli patrum proæsserunt, simulq; tantum liberorū odium conciperunt, ut, ne magnam soluant mercedem, uilem sequantur ignorantiam, hominesq; nullius precij liberis præceptores delignant. Quare non inepte, sed ualde facete, patrem quendam animo menteq; carentem Aristippus oratione perstrinxit, interrogatus ab eo, quantam mercedem de filij institutione postularet, mille dixit drachmas. Adhæc cum exclamaret ille, Hercules, inquitens, magna isthæc indidatura, mille nanq; drachmis mancipiū comparare pos-

PLVT. DE EDVC.

sum. Respondit denuo Aristippus, Emito sanè, atq; ita duo habebis manàpia, filium & quem emeris seruum. In summa, quis non putet rem absurdam, consuefacere pueros quo dextra abũ capiant, & si forte manũ sinistram porrexerint, castigare, ut uero sermões puros & præceptiões eorũ etati cõgruas audiãt, minime puidere? Verũ qd accidit patribus illis admirãdis postq̃ filios male educauerũt et instituerũt? Ecce tibi iãiam indicabo. Vbi ex pueris exãsserint, ac neglecta recte beneq; instituta uitæ ratiõe, in immodicas & beluinas uoluptatis præcipites se dederint liberi, poenitentia ob eorum proditam institutionem ducuntur, sed tum desumum cum nihil commodi afferat de eorum flagitijs angere & dolere. Partim enim eorum, adulatores & parasitos, homines sanè infames & scælestos iuuentutisq; corruptores, sibi adiungunt: partim scorta & meretrices splendidas ac sumptuosas redimunt. Alij se luxui dedũt, alij in talos commissionesq; impingunt. Nonnulli etiam ad mala audaciã maiorem postulantiã accinguntur, adulteria dico, bacchationes, & id genus alia, unamq; uoluptatem uel morte comparandam existimant. Tum si cum philosophis uersati fuissent, nequaquã se huiusmodi rebus dedissent, atq; illud Diogenis tenerent, quo uerbis quidem duriter, re ipsa uero utiliter admonet ac præcipit, Ingrederi, inquiens, alicubi lupanar, ut cognoscas uilia à præciosis nihil interesse. Equidem, ut rem ad compendium ponam, dum statuo istorum unum esse prinãpium, medium ac finem (Nempe educationem honestam, institutionemq; legitimam) non tam monere, quàm oraculum ædere mihi uideor, hæc ad uirtu-

LIBERORVM.

ad uirtutem & felicitatem sola adiumento esse ac deducere
 reor & censeo. Nam reliqua quæ in uita humana bona
 & expetenda existimantur, exigua nec tanta cura ac dili-
 gentia digna existunt. Est profecto generis nobilitas res
 præclara, sed proprium quoddam parentum & maiorum
 bonum Diuitiæ præcose, sed tamen fortune possessio, quæ
 eas, possessoribus sæpe eripuit, nihilq; tale sperantibus
 sponte obtulit & dedit. Sunt præterea uelut scopus quidam
 collocatæ & propositæ, uolentibus crumenas collimare ac
 configere, seruis opinor sceleris & calumniatoribus. Tum
 quod maximū est, pessimi etiā earum sunt participes. Glo-
 ria est uenustū ac uenerādum, sed tamen fragile quiddam.
 Neq; pulchritudo indigna, quam maximopere expetas,
 ueruntamē fluxa ac momentanea, bona quoq; ualetudo
 magno æstimanda præcio, facile commutatur. Deniq; robur
 amabile, sed morbo obnoxium & senio. Quid multa? si
 quisquā de corporis robore gloriatur, is sciat se tota sen-
 tentia aberrare, humane nanq; uires quotta quæso pars
 sunt cæterorum animantium roboris? Elephantorū dico,
 taurorum & leonum. Solæ artes & disciplinæ in nobis
 perpetuæ & diuinæ cognoscantur. Ex omnibus autem in
 humana natura, duo præcipua deprehendas. Mentem atq;
 sermonem: huic quidem mens dominatur, ipse uero subser-
 uit, illam neq; fortuna subigere, neq; calumnia auferre, neq;
 morbus corrumpere, neq; senectus labefactare potest.
 Mens enim sola senescens re pubesat, tempusq; quod cætera
 omnia tollit, senectute peritiam addit. Bellū præterea tor-
 rentis instar omnia rapiens & loco mouens, solam institus-
 tionem &

PLVT. DE EDVC:

tionem & doctrinam eripere nequit. Stilpon ergo Megarenſis philoſophus reſponſum memoria dignum dediſſe uidetur Demetrio ciuitatem captã ſolo æquanti, percuñctantiq; ex eo, num quid perdiſſet. Nihil equidem: reſpondit ille, ſiquidem bellum uirtutem in præda nequaquã agit. Conſona eſt iſti Socratis reſponſio, qui, cum ipſum interro-garet, ut opinor, Gorgias, quid nã de magno Perſarum rege ſentiret, exiſtimaret ne eum foelicem? Ignoro, inquit, quã ſit doctus, quã uir bonus, Quasi in his, non in fortuna bonis uitam beatam ſitam ſtatuere. Et quemadmodũ puerorũ inſtitutione nihil neq; prius, neq; antiquius habendũ eſſe moneo, ita eã minime corruptam ſequamur oportet. A panegyriã nugis pueri longe amoueantur. Siquidem uulgo ac multitudini placere, reuera eſt diſplicere prudentibus: habeo orationis meæ teſtem Euripidem dicentem, Ego uero ineptus ſum ut ad populũ uerba faciã, ſed apud æquales & paucos peritor. Qui doctis ſunt mali, ij populo in dicendo elegantiores uidentur. Iam qui ſuam diſtinctionem ad turbulentæ multitudinis gratiam parant atque inſtituunt, eorum uitam etiam plerunq; luxurioſam, uoluptuoſamq; reddi uideo, atq; idipſum merito. Nam dum alijs uoluptates conquirunt, negligunt ipſi honeſtum, atq; ita proprijs & pealiaribus uoluptatibus honeſtum ac rectum, uix præpoſuerint, ut malint modeſtiam, quã delectationem perſequi. Adde, quam utilitatem altam filijs proponemus, & quibus bonis alijs ut incumbant atq; inherere eos cohortabimur? Nulla res honeſta temere & ſine labore uel fit, uel diãtur. Sunt ſane pulchra & honeſta ut in

LIBERORVM.

Ita, ut in proverbio est, diffialia. Orationis extemporalis
 tas negligētię, faalitatiſq; temerarię plena deprehēditur,
 peculiaris corū q neq; exordiēdi neq; finis faciēdi rationē
 ullam tenent. Hoc qui amplectuntur dicendi studiū, cum in
 alia uitia multa, tum in immodestiam grauem & loquaā
 tatem nimiam delabuntur. Econtrario autem diligens me-
 ditatio, non sinit orationem extra conuenientem mensurā
 exidēre. Quare Pericles, ut auditu accepimus, cum sepius
 à populo uocaretur, non uenit, se imparatum esse dictitans.
 Pariter fecit Demosthenes eius, quem dixi, in Rep. admini-
 stranda emulus. Voantibus enim cum Atheniensibus sen-
 tentię dicēdi causa, recusauit uenire, ut qui paratus atq;
 instructus non esset. Cæterum hæc fortassis tanq̄ sine certo
 autore commentum quoddam uideri poterunt, sed tamen
 quę sit meditationis comoditas, ipse in oratione contra Me-
 diam aperte ponit. Sic ait, Equidem me meditatū esse scie-
 teor, neq; id q̄ diligentis. potuerim, excutū nego: ac reue-
 ra miser & infœlix essem, si talia tantaq; perpeſsus, quę
 de his dicturus sum, negligerem. Neq; tamen extemporaa-
 litatem omnino improbandam, aut ubi res offeratur idos-
 nea non usurpandā cenſeo, quin ea pharman loco utemur.
 Quousq; ex pueris exaſſeris, ne quid temere dicas uelim:
 postea uero ubi radices egeris, tum, si tempus postulet, li-
 bere ut loquaris deat. Etenim quemadmodum longō tem-
 pore in uinculis habiti, si soluantur, nihilominus propter
 diutnam uinculorum consuetudinem clau dicant, pari rati-
 one qui orationem suam diu conſtrinxere, si quando ex tem-
 pore sit dicendum, idem orationis filum retinent. Sin aut

PLVT. DE EDVC.

tem pueri ad id dicendi genus admittuntur, ea extreme uanoiloquentiæ causa existit, Ferunt pictorem quendam ignobilem & miserum Appelli tabellam ostendisse, dixisseq; hanc ego iamiam pinxi: illum uero respondisse, Etiam si non dicas, uideo festinanter esse pictam, atque illud magis miror, qui non pinxeris plures tales. Sed redeo ad eam, quàm initio institueram orationem. Quo pacto dicendi genus theatrale & tragicum mea sententia uitandū, ita quoq; dictionis exilitas & humilitas fugienda existimatur, quandoquidem oratio tumida Rebus pub. incommoda, exilis autem commouendis animis perquam inutilis. Nam ut corpus non modo sanum, uerum etiam habitudinis bonæ esse oportet, sic orationem non modo à uitijs integram sed & solidam uehementemq; existere conuenit. Tuta namq; laudantur, sed cum periculo tentata & quesita, admirationem insuper habent. Idem de animi affectu sentio, ut eum neq; audentem, neq; timidum & ignauum esse oportere existimem, illud enim in impudentiam abit, hoc uero in seruitutem rapit. Mediam autem si quis in omnibus exactis, secat atq; ingrediatur uiam, id summæ artis statuitur. Porro quantum institutionis memini, quæ mea sit de ea sententia, explicabo. Orationis membrorumq; eius similitudinem perpetuam inepti ad literas ingenij non paruū inditium puoto, tum ad exercitationem actionemq; rem fastidiosis, atq; omnino intolerabilem: unus enim atq; idem semper modus, in omnibus rebus satietatem: contra, uarietas ut aliàs in omnibus quæ uel spectantur uel audiuntur, delectationem parit, Consentaneum igitur est ne ingenuos pueros
ullam

LIBERORVM.

ullam præterea ex Cycliâs disâplinis non audiuisse et uidi-
 disse sinamus. Eas omnes obiter ac uelut degustantes dis-
 scant. Nam fieri non potest ut in omnibus ad perfectio-
 nem euant. Philosophia autem cæteris præponatur: huius
 ius sententiæ meæ tanquã simulachrum quoddam afferre,
 ac sub oculos ponere possum. Pulchrum quidem habetur
 multas peragrassse & uidisse urbes, sed tamen in optime
 constituta constitisse, id tandem utile. Eleganter dixit Bion
 philosophus, perinde ut proci, qui ipsa Penelope potiri ne-
 quierunt, cum anallis & pedissequis consueuerunt. Sic qui
 ad philosophiam aspirare non potuerunt, in alijs nullius
 precij disâplinis se macerarunt & exhausserunt: itaq; phi-
 losophiam tanquã caput & arcam reliquæ institutionis ac
 doctrine ponemus & constituemus. Due sunt corpori au-
 rando ab hominibus repertæ artes, Medica & Gymnastica. *Effectus
hinc.*
 Altera ualitudinem, altera habitudinem bonam affert.
 Sola autem philosophia morborum, egritudinumq; ani-
 mi est remedium. Per hanc enim eiusq; auxilio, quid hone-
 stum, quid turpe, quid iniquum, deniq; ut breuiter dicam,
 quid sequendum fugendum ue sit. Tum quo pacto Dijs, quo
 pacto parentibus, quo pacto natu maioribus, item quo
 modo legibus, & quomodo seruis utamur, intelligimus ac
 cognosamus. Oportere Deos colere, parentes honore pro-
 sequi, natu maiores reuereri, legibus obsequi, magistratibus
 parere, amicos amplecti, aduersum mulieres pudicos esse,
 filiorũ amantes, in seruos non ualde contumeliosos, & quod
 rei caput est neq; in prosperis gaudio efferrî, neq; in ad-
 uersis nimium angri, neq; in uoluptatibus diffuere atq; eo

Dij neruari,

PLVT. DE EDVC.

neruari, neq; iratus in beluinam impatientiam rari. Equis
 dem ista ex omnibus bonis à philosophia profectis, prima
 & preciosissima esse iudico, foelicitas nanq; à magnanimi-
 tate orta, uiri fortis esse ænsetur, à inuidiam parca, obse-
 quentis & mansueti. Ratione autem uoluptates superare, sa-
 pientum, & iræ temperare, non uulgaris & cuiusuis. Per-
 fectos eos statuo, qui cum aulis uitæ ratione, philosophiam
 iungunt, ac ueluti miscent, ut qui duobus, quæ in uita homi-
 nis sunt, bonis maximis & præstantiss. sint potiti, uita scæ-
 licet in commune utili, dum Rempub. gerunt, atq; illa trās-
 quilla & serena, cum in rebus philosophiæ occupantur.
 Nam cum tres sint uiuendi rationes, quarum una in actio-
 ne, altera in meditatione consistat, tertia sit uoluptaria, hæc
 quidem est dissoluta, uoluptatum serua, beluina et indecens:
 illa uero in meditatione posita, si actione careat, inutilis exie-
 stimatur. Quæ autem agit & operatur, nisi philosophiam
 sociam habeat, inelegans & à recto aberrans. Pro uirili
 igitur conabimur, simul Respub. administrare, simul phi-
 losophiæ incumbere iuxta cuiusq; temporis statum & ra-
 tionē. Ita Remp. administrauit Pericles, ita Archytas Tarē-
 tanus, ita Dion Syracusanus, ita Epaminundas Thebanus,
 quorum utriq; magnā interæsit cum Platone consuetudo.
 De institutione & doctrina plura dicere, non uideo quoro-
 sum conducat. Præterea tamen utile erit, immo necessarium,
 antiquorum scripta paranda non negligere, sed conquis-
 rere ea & colligere. Et quemadmodum in re rustica cons-
 tingit, ita quoq; non librorum possessio, sed usus, est eru-
 ditionis instrumentum, eamq; uelut ab ipso fonte conseruat.

Neq; ut

LIBERORVM.

Neq; ut corporis exerationes negligamus conuenit, sed
 missis ad palestræ prefectos liberis, eas commode coli au-
 remus, & propter corporis elegantiam, & ob robur paran-
 dum. Siquidem in pueris bona corporis habitudo, magnam
 habetur pulchræ senectæ fundamentum. Deinde quemad-
 modum in tranquillitate res ad tempestatem necessarias
 querere & parare oportet, ita in iuuenta temperantiam
 & modestiam senectuti uiauiam reponere deçet.
 Eo uero modo corporis labores instituentur, temperabun-
 turq; ne illis exhausti, ad literarum studia deficiamus. Nam
 Plato ait, somnum & laborem studijs esse inimicos. Sed
 quid in his tantopere moror, quin illud quod omnium est
 præcipuum, quod primum eloquor. Sunt pueri ad certamina
 bellica exercendi, cum iaculando, tum sagittando, uenando
 q;. Res enim prelo deuictorum sunt uictoribus premia
 præpositæ, bellum autem in umbra formatam corporis
 habitudinem non recipit. Qui tamen agilis est miles, bel-
 liaq; certaminibus assuefactus, athletarum & hostium or-
 dines, facile perumpit. Dicat aliquis. Tu ingenuorum pue-
 rorum institutionis exempla pollicatus, deprehenderis pas-
 lam pauperum ac popularium educationem paruisacere et
 cõtemnere, solisq; diuitibus formulas idoneas, & præcepta
 dare uelle. Ad hæc respondere sine magno negotio possum.
 Cuperem equidem omnibus ex æquo commodam fore edu-
 cationem, uerum si qui sunt, quibus adeo exigua est fami-
 lia, ut per inopiam meis monitis uti nequeant, ij fortunam,
 non me, qui huiusmodi attuli consilia, accusent. Quantum
 igitur possunt, pauperes etiam, contendant atq; enitentur.

PLVT. DE EDVC.

optimam puerorum educationem instituerē ac persequi.
 Quod si datur minus, ea saltem, qua possunt, utantur. Hæc
 obiter dicenda ac perstringenda putauī, quo alia etiam ad
 rectam iuuentutis educationē pertinentia subiungam. Pueros
 ad honesta studia, uerbis & monitis, non plagis ac
 uerberibus perducendos esse affirmo. Videntur enim ista
 seruerum conditioni magis quam ingenuorum conuenire:
 fastidiunt namq; & abhorrent labores, cum propter plagarum
 dolorem, tum propter contumeliam. Laus uero &
 uituperatio omni cruciatu in ingenuis sunt efficaciores, illa
 nimirum ad honesta conatans, hæc à uitijs coercens. Vicijs
 sim autem obiurgationibus & laudibus utemur. Cunctos
 eos aliquando increpationibus gaudere senserimus,
 in pudorem deducemus, mox laudibus reuocabimus.
 Qua in re nutrices nobis imitandæ proponuntur, quæ in
 fantibus ciulantibus, ut eos solentur, dant denuo mammã.
 Neq; tamen laudibus inflentur atq; attollantur, tumescunt
 enim nimis laudibus, delictioresq; fiunt. Porro, uidi patres
 nonnullos, quibus amor nimius in odij causam uertit:
 sed quorsum istuc pertinet quod dicere uolo, id, ut oratio
 fit clarior, exemplo ostendam. Dum festinant, quo pueri
 quàm citiss. in omnibus ad primas aspirent, immodicos eis
 imponunt labores, in quos uelut renuentes inadunt, atq;
 alij etiam grauati ærumnis, inuiti ad discendi munus accinguntur,
 neq; facile tradita disant. Vt enim plantæ aquarum
 mediocritate aluntur, abundantia autem suffocantur, ita
 animus modicis laboribus augetur, nimis uero obruitur.
 Itaq; pueris remissio quedam à laboribus concedatur, in
 quo

LIBERORVM.

quo meminisse debemus, uitam humanā in laboris laxationem & intentionem esse diuisam. Hinc non modo uigiliae sunt repertae, sed & somnus: non modo bellum, sed & pax: non modo tempestas, sed & serenitas: non modo operationes, sed & feriae. Atq; ut breuiter dicā, Requies est laboris condimentum. Neq; id in animantibus solum, uerū etiam in inanimis usu uenire uidemus. Siquidem arcus & lyras remittimus, ut aliquando intendere possimus. In uniuersum dico, corpus quidē seruari repletionē, abstinentiaq; animum uero labore remissioneq; eius. Sunt patres nonnulli increpatione digni, ij enim posteaquam paedagogis & magistris pueros cōmisere, ipsi institutioni neq; oculos neq; aures amplius adhibent, qui sanē ab officio suo quā longis recedunt. Ad ipsos enim spectabat subinde paucis interiectis diebus de pueris spem aperere, neq; in mercenarij studio spem omnem suam habere, illi nimirum, si sibi rationem ubiq; reddendam sciant, maiorem curam & sollicitudinem in pueros impendent. Huc Hippocomi dictum magna cum gratia quadrat, Nihil aequē pingue facere equū atq; domini oculus. In primis puercorum memoria exerceri atq; assuefieri debet, quippe quae scientiae sit repositorium. Vnde Musarum matrem Mnemosynen esse sunt fabulati, sub in uolucro indicantes, nihil ita ut memoriā producere & alere posse. Hec quidem in utramq; partem exercenda uenit, siue natura & ingenio ualeant, siue obliuosi sint pueri. Naturae enim abundantiam confirmabimus, defectum sarciemus, atq; illi quidem alios, hi uero seipos minant. Egregie igitur dicit Hesiodus, Etiam si paruum

paruo

PLVT. DE EDVC.

paruo addas, si tamen id frequenter facias, efficietur forsitan
 magnum quiddam. Neq; patrum quenquam lateat, memo-
 ria partem quæ in discendo adhibetur, non solum ad eru-
 ditionem, sed ad quas sanq; uitæ actiones, nō minimū asserre
 momentum, quandoquidē rerum præteritarū memoria &
 recordatio, bene consulendi de futuris exemplum præbet.
 A turpiloquio pueri amoueantur, nam oratio facti umbra
 esse dicitur à Democrito. Comes deinde ut sunt, atq; affabi-
 les detur opera, siquidem nihil tam odio dignum quàm
 diffiçales mores. Neque etiam familiaribus sint odiosi, neq;
 se ita comparent, ut re aliqua proposita omnino nemini cō-
 æssuri. Non solum uinære est honestum, sed & uinā sære
 ubi uictoria noçua sit futura, est nanq; reuera Cadmea
 uictoria. Locupletissimum eumq; sapientissimum testem has
 beo Euripidem dicentem. Si duo differant alterq; ira com-
 moucatur, qui non repugnauerit, is merito sapientior has
 betur. Ea nunc dicenda restant, quæ nullo ex hæctenus di-
 ctis, sunt inferiora, quin immo magis iuuentuti appetenda.
 Hæc dico, uitam agere minime delicias, linguam continere
 re, iram superare, manus abstinere. Cæterum de singulis
 quantum unumquodq; possit, seorsim explicandum uide-
 tur, exemplis enim cognitu scilicet fient. Ut uero ab eo,
 quod ultimo loco posueram, prinapuum faciam. Reperio-
 untur aliqui manus illicitis lucris adhibuisse, atq; omnem
 antea uitæ laudem amisisse. Gylippus Lædæmonius,
 quoniam sacculos pecuniarum soluerat, sparta est exactius
 iræ non esse obnoxium, id sanè uiri est sapientis. Socrates
 cum cum iuuenis quidam ualde audens ac impurus, calibus
 impetuisset

LIBERORVM.

impetuisset, uideretq; ob eam rem circūstantes indignari,
 ita ut iam illum persecuturi essent. Num etiam, inquit, si me
 asinus calce percuisset, uos in illū recalātrare uelletis? mi-
 nime tamen propositum suum tenuit. Nam omnes nibiloni-
 nus adolescentem insecati calātronemq; subinde inclaman-
 tes, ad restim usq; adegerunt. Ad hęc Aristophane nebulas
 edente, omniq; eum afficiente contumelia, cum ex familiari-
 bus quidam ea recitasset & reprehendisset, percontatus,
 An non indignaris Socrates? respondit, Minime gentium,
 perinde enim ut in conuiuio aliquo magno, in theatro
 perstringor. Sunt isti cognata & similia quę Archytas
 Tarentinus & Plato fecisse traduntur. Ille enim cum à bel-
 lo, in quo imperator fuisset, domum reuertiretur, terram
 q; inultam conspiceret, uocato eius auctore. Plorares, dixit,
 nisi ualde iratus essem. Plato autem in seruum luxui dedi-
 tum planeq; sceleratum commotus, Speusippo sororis filio,
 quem ob eam rem uocauerat, dixit, Hunc tu abductum pul-
 sato, ego ualde irascor. Difficile est imitari, inquis, fateor,
 attamen quantum potest, enitendum nobis est, ut istorum
 innixi exemplis, immodicam illam & planè furentem irā
 temperemus ac cohibeamus. Neq; nos prohibitatis illorum
 atq; experientię sumus emuli modo, sed nihilo inferiores
 illis, ac quemadmodum sapientię sacerdotes, quoad eius fi-
 eri potest, ista ut auellamus atq; imitemur conabimur.
 Nunc, quemadmodum proposui, superest ut dicam, quo pa-
 cto sit lingua coerēda. Id si quis rem uilem & facilem
 puat, plurimum à recto aberrat. Sapientię nanq; datur et
 adscribitur, taturitas oportuna, atq; omnis oratiōis lau-

PLVT. DE EDVC.

de est præstantior. Maiores itaq; nostri uidentur secreta instituisse sacra, ut in his tacere docti & assuefacti, quem à Dijs concepimus timorem, eum ad secreta humana custodienda transferremus. Neq; quenq; tacuisse pœnituit, locutos autem esse, plurimos. Tum tacitum efferre & propalare, perquã facile, sed quod semel dictum est, reuocari nequit. Multos auditu accepimus, ob linguæ incontinentiam in calamitates maximas decidisse, quos quidem missos faciã, unus saltem aut alterius, exempli causa, meminero. Ptolemæus Philadelphus, Arsinoen sororem cum uxorem duxisset, dixissetq; Sotades, in foramen impium aculeum immittitis, est is in carcerem coniectus, ubi multo tempore contabescens intempestiuæ loquacitatis poenas non immeritas decedit, atq; ut alijs risus materiam exhiberet, ipse diu multũq; plorauit. Similia sunt, atq; adeo grauiora, quæ Theocritus Sophista dixit, & passus est. Imperauerat Alexander græcis uestes purpureas parandas, quo post reditum iusta uictoriæ belli barbariã exolueret. Ad id cum à populis in capita conferretur argentum, Prius, inquit, Theocritus dubius eram, iam aperte sentio hanc esse purpuream Homeri mortem. Ob quod dictum inimicum habuit Alexandrum. Idem Antigonum Macedoniae regem iustum, oculi defectu exprobrato in iram non mediocre commouit. Miserat is ad illum Eutropionem Archimagrum, iam tum ad dignitatem euectum, utq; rationem daret & acciperet, uolebat: hæc cum sæpius ad Theocritum detulisset, scio inquit, q; me crudum Cyclopi uis apponere, ita exprobrans alteri q; mulis, alteri q; cocorum magister fuisset.

Ad que

LIBER ORVM.

Ad quæ Eutropion, & tu igitur caput non habebis, effrenataeq; huius dicatatis atq; insanie pœnas pendes. His regi renūciatis, misit is continuo aliquos qui illum interficerent. Pueri quoq; quod omnium est sanctiss. in primis asuefiant ueris dicendis, mendacium enim seruile quiddam est, omniumq; hominum odio dignum, neq; seruis medicis ignoscendum. Quæ hactenus de puerorum decore & modestia disseruimus, sine ulla dubitatione & diligenter sunt pronūciata, sed quæ sequuntur, in his sum incertus, ac diuersè trahor, iam huc, iam illuc imminens, uelut in statera constitutus, neutro tamen declinare possum, multumq; uereor & timeo seu rem istam suadeam, seu dissuadeam. Verum ut unq; se habet, est tamen proferendum. Quid istuc inquis? num puerorum amatoribus permitti debeat, ut cum ipsis uersentur & consuetudinem habeant, an uero sit potius magisq; conueniens, ut ab eorum congressu ac familiaritate arceantur repellanturq;. Siquidem respitio in patres tristes illos, duros atq; acerbos, qui ob liberorū contumeliam minime ferendam amatorum conuersationem iudicant, uereor eius esse auctor & suasor. Contra, si Socratem, Platonē, Xenophontem, Aeschinem, Cebetem, omnem illum ordinem uirorum, qui simul masculos amores probauerunt, simul iuuentutem ad doctrinam, auilitatem, morumq; probitatem perduxerunt, intueor, illico alius fio, atq; ad imitationem illorum deflecto. Suae quoq; sententiæ affinem & socum habent Euripidem dicentem, Atque est amor quidam alius in mortalibus animi iusti, modesti, & boni. Neq; quod Plato cum diligentia & gratia di-

PLVT. DE EDVC.

xit, praterendum, ait uero, Bene meritis liberum ac licitum esse debere, ut quos uelint ament. Eos quidem qui pulchritudinem atq; etatem sequerentur, abigendos esse. Qui uero animum amplecterentur ac susciperent, omnino comprobandos, Tum eos amores, q̄ Thebis & Elide colerentur, quiq; Cretensis appellaretur raptus uitandos, qui uero Athenis & Laedamonem, accipiendos, atq; eum etiam qui in pueros existit imitandum. De ijs quisq; pro sui animi sententia statuatur, ego uero quoniam de pueroꝝ institutione recta & elegantia dixi, ad adolescentiam transibo, de ea quoq; pauca dicturus. Sæpe increpare solitus sum nonnullos pessimaruꝝ consuetudinũ auctores, qui pueris quidẽ pædagogos, & magistros præfecerũt. Adolescentes autem impetus suos liberi exequi permisissent, cum diuersum facere longe fuisset consultius, maioreq; cura in istis quã in pueris caue.

Quis enim nesat pueroꝝ errata parua esse, atq; omnino sanari posse, ut quæ forte, uel pædagogi cõtemptu, uel mandatorum magistri neglectu oriantur. Iuuenum autem delicta sæpenumero per magna & calamitosa conspiciuntur, nimirum uentris studium nimium, paternæ pecuniæ furta, tali, commessationes, potationes, uirginum amores, edium, uxorumq; alienarum expugnationes. Horum igitur impetum summa cura & diligentia restringere ac cohibere oportebat. Nam uis uoluptatum, & conamen, lasciuum quiddam est, temerarium, & freno indigens, ideoq; nisi quis hanc etatem diligenter obseruet ac custodiat, inscius atq; imprudens uitijs concipiendis, ansam materiamq; præbuerit

LIBERORVM.

præbuerit. Ad prudentes itaq; spectat patres hoc tempo-
 re in primis cauere, custodire, uigilare, & ad modestâ ado-
 lescentes reuocare, præceptis, minis, præabus, consilijs, &
 promissis ostendere, prætera exempla delapsorum per li-
 bidinem in calamitates, per fortitudinem uero gloriam &
 laudem nactorum. Duo namq; sunt, uelut elementa &
 prinâpia uirtutis, expectatio honoris, & timor supplicij.
 Illa ad rerum honestarum studia alacriores uehementio-
 resq; hic ad mala patrandâ tardiores facit. In summa, ar-
 cendi sunt pueri à malorum consortio & consuetudine, se-
 rē enim aliquid improbitatis illorum deportant. Id quod
 Pythagoras quoq; sub inuolucris quibusdam denunciâuit
 ac præcepit, ea ego proposita interpretabor, maximū enim
 momentum parandæ uirtuti asferre uidentur. Ne gustaris
 ea, quibus nigra est cauda, id est, ne familiaritatem habeas
 cum ijs, qui ob morum improbitatem tetri existimantur.
 Scateram ne transileas, habenda est ingens iusticiæ ratio,
 eaq; minime omnium transgredienda. In chœnicem ne in-
 sideas, inertiam fugias, ac de uictu necessario parâdo pro-
 uideas, Ne cuius dexteram inieceris .i. non facile & teme-
 re cuius consalire. Arctum annulum ne gestato, siquidem
 uitam studiose oportet colere, neq; eam uinculis astringere.
 Ferro ignem ne fodito, iratum ne laxessas, neq; enim deæt,
 sed concedere iratis longe est potius. Cor ne edito, animum
 ne lēdas, ipse curis eum conficiens. Fabis abstineto, ne te ad-
 ministratiōi Reipublicæ admisceas. Nam antiquitus sus-
 fragia per fabas ferebantur, quibus Reipublicæ admi-
 nistrandæ munus uel deferebatur, uel abrogabatur, non

PLVT. DE EDVC:

nunquã etiam infligebatur pœna. Cibum in matulã ne imi-
 tutas, ostenditur uero sermonẽ urbanũ in hominis impro-
 bi animũ nequaquã iniiciendũ, quandoquidẽ oratio sit ani-
 mæ alimentum, quã hominũ nequitia impurã reddit. Ne re-
 uertaris cũ ad finem perueneris .i. quando moriturus uitæ
 finem adesse uides, id æquo feras animo, neq; te afflictus.
 sed reuertar ad id, quod inito orationis proposueram.
 pueros ut segrege, dixi, ab omnibus malis hominu-
 bus, in primis autem ab adulatoribus. Et quod ego,
 cum sepe, tum apud multos parentum prædicare soleo, iam
 quocq; assero & confirmo. Nullum nimirum esse homi-
 num genus pestilentius, quodq; magis ac celerius præcipi-
 tem, det iuuentutem, q̃ adultores. Patres enim simul cum li-
 beris radiçus euertunt, dum illorum senectutem, istorum
 uero iuuentã miseram atq; afflictam habent, eorumq; con-
 silia uoluptate uelut esca ineuicabili condita exhibent, libe-
 ros d'uites patres sobrios esse iubet. Cõtra, illi inebriari,
 ista modestos esse & tẽperantes: illi lasciuire, isti parsimo-
 niæ studere: illi absumere & prodigere isti opus facere: illi
 obari, u tam enim tẽporis punctũ esse dictitant, quapro-
 pter ueram, non uilem & umbratilẽ uitam degere oportet.
 Tũ non sunt uobis respiciendæ patris munæ, dictitat, est
 senex delirus, capularis, & larua, eũ breui sublimem esse
 temus. Nec desunt qui scorta pollicantur, indicet ac cõ-
 plement uxores alienas, ac quod patris in senectute uaticinũ
 esse oportebat, imminuerint ac depredati sint. Quid mul-
 ta, selestum est hominũ genus, amicitias simulans, omnisq;
 libertatis & ingenuitatis expers. Adulatur diuitibus, pau-
 peres deo

20

LIBERORVM.

peres despicitui habent, tanq̄ ex lyrica arte ad iuuenes de-
 lati, hiant ubi reges riserint, animi sunt supposititia quedā
 & spuria uitæ membra. Ac dū ad diutum nutum uiuunt,
 fortuna & conditione sunt liberi, uolūtate serui. Et si nul-
 la afficiantur contumelia, tum sibi iniuriam fieri arbitran-
 tur, ne. s. frustra atq; immerito abum æpisse uideantur. Id
 arco, si quisq; patrū recte educationis liberorū curam ha-
 bet, is sanè abominandas istas seras abiget, atq; omnem
 familiarū malitiam repellet, soli nanq; isti optimo auq; in-
 genuo corrumpendo suffiaūt. Sunt hæc quidem honesta &
 recta, quæ uero post dicuntur, tēperata & humana. Neq;
 uelim patres omnino diffiales ac duros natura esse, sed ses
 penumero aliquid delictorū iuuentuti tribuere ac cōdona-
 re, & meminisse, se quoq; olim iuuenes fuisse. Et quēadmo-
 dū mediā amara medicamēta dulcī aliquo liquore tēperāes,
 delectationē, uelut uiā ad utile inuenerūt. Sic parētes obiur-
 gationum seueritatem mansuetudine mitigabunt, atq; ali-
 quādo liberorū cupidini indulgebūt, habenas laxabūt, con-
 tra nōnunquā adducēt, atq; omnino æquo animo ferent er-
 rores & contegent. Sin minus, ira perātī, cito tamen de fer-
 uescant. Magis enim conuenit, patrem in iram pronū esse,
 quā eam diu tenere: ira nanq; diurnitas, animusq; ad re-
 conciliandū diffialis, non paruum est odij in liberos ar-
 gumentum. Neq; incommodū fuerit, peccata quedam neq;
 resāuisse uideri, ijsq; oculorū auriumq; hebetudinē, quam
 senectus afferre solet, prætexere: ita ut quanq̄, quæ fiant,
 uideamus atq; audiamus, ea tamen nos uidere & audire
disimulemus. Verum enim uero amicorū errata ferimus,
 quid mirū

PLVT. DE EDVC.

quid mirum si idem in liberis faciamus? accedat & illud, quod seruatorum sese ingurgitantium ebrietatem sepe non reprehendimus. Parator fuisisti aliquando, praebe sumptus: indignatus es aliquando da, etiam ueniam: per seruū pauit aut imposuit, iram cōtine. Ex agro sustulit iugum. Redijt uesper ebrietatem spirans, ignora. Unguentū olet, tacet. Hoc quidem pacto lasciuens iuuentus domatur. Quod si qui sunt à uoluptatibus omnino uicti & superati, neq; obiurgationibus quicquā deserunt, tales tu nupcijs uinatio, id enim est ualidissimū iuuentutis uinculum. Despondere autē oportet filijs neq; multo nobiliores neq; ditiores. Suae namq; conditionis parem ducere, est sapientis. Nam qui multo praestantioribus se iungunt, nō uxorū mariti, sed dotis serui imprudentes efficiuntur. At uero pauca ubi addidero, praerceptiones nostras absoluam. Ante omnia oportet patres omni uitio uacuos esse, atq; in omnibus, quae fieri debent, clarū de se ipsis exemplū liberis exhibere, quo in uisam eorum tanquā in speculū intuentes à uerbis operibusq; turpibus auertantur. Eo fit, ut, qui errantes & delinquentes filios increpant, dum ipsi eiusdem delictis implicati tenentur, sub illorū nomine se ipsos reos agant. Qui uero turpem agunt uitam, ij ne seruos quidem, tantum abest ut liberos, libere corripere audent. Adhuc delictorū eis auctores & māgistri existunt. Vbi enim senes reperiuntur impudentes, ibi necesse est iuuenes conspici impudentissimos. Totis igitur uiribus sunt paranda, quae liberos ad modestiam inuicent ac deducant. Imitabimur Eurydicen, quae quanquā ex Illyrico tribarbara esset, ut tamen filij recte instituerentur

LIBERORVM.

instituerentur ac discerent, prouectu iam etate se ad literas
 cōtulit. Ac quanto in liberos fuerit amore, satis abundeque
 declarat epigramma, quod Musis dixit. Eurydice Hie-
 rapolitana hanc telam musarū concepto amore, posuit, ip-
 sa enim cū iam pubescentiū liberorum mater esset, literas
 orationū præceptionumque monumenta, discere tentauit &
 studuit. Omnes istas quas diximus, præceptiones, tenere ac
 cōplecti, uoti fortassis potius fuerit quàm admonitiōis. Im-
 mo multas saltem ex ipsis consequi, felicitatem requirit &
 diligentiam multam, sed tamen natura humana ea efficere
 ac præstare potest.

FINIS.

PHILIPPI

MELANCHTHONIS, DE
 Instituentis pueris, præcepta.

DEbent adolescentes in incessu, uestitu, sermone &
 gestu, modestiam summa diligentia cōseruare. Per-
 tinet enim ad animum, si quid in his ineptiarū fuerit, non
 modo quia dissimilitudo, & nouitatis adfectatio, sunt indis-
 cia uanitatis. Capti enim his nugis, mirificæ sibi placēt, ac
 sese mirantur. Sed etiā quia leuitatem animorū & pleraque
 ingentia uitia alunt. Nam cū initio in paruis rebus discesse-
 rint à cōmūnibus moribus, & adsucuerint iudicia grauū
 uirorū contemnere, fit, ut paulatim omnē pudorē ac uere-
 cundiam, deinde publicarū legum metū, prorsus ex animo
 eijciant.

PHILIP. DE INSTI.]

In Tigello taxat huiusmodi uarietatem morum Horatius, cum ait, Nil equale homini fuit illi. &c. Sed multo grauius huiusmodi uitia notauit in Iuliano Imp. Gregorius Nazanzenus, coniecturā ex illis faciens de animo. Qui lo cus pueros admonere potest, ut maiore curam adhibeant, ne quid motu, statu, sermone, ornatu, tanq̄ in actione, indecorū admittant, quodq; ab approbatione oculorū atq; aurium in bonis uiris abhorreat. Idem præcipit Paulus. i. Thessa lon. 4. cum ait.

ἠρεσθητε ἐν κυριώτερον πρὸς τὸν ἔσω

MALAE INSTITVTAE IUVEN

tutis exemplar, Iulianus Imperator, ex Grego rio Nazianzeno, Phil. Mel. Interprete.

HAcc alij experientia cognouere, & naturam eius licentia declarauit, qua uti cœpit postquā imperio potitus est. Ego multo ante præsenſi, cū Athenis eum uide rem, Nam cū aduersus fratrem nouarentur res, illo uene rat se purgaturus. Duplex autē ferebatur causa eius pere grinationis: altera honesta, ut lustraret Græciā & scholas. Altera arcana & paucis nota erat, ut cū idololatriſ de ſua uoluntate cōmunicaret, cum nondū liceret admodū consue tudinē habere cum gentilibus. Tum ego de Iuliano probe diuinaui, tamenſi non ſim uates, ſed fecit uatem morū Iuliani inconstantia & magnitudo admiratiōis. Est enim ille, ut a iunt, optimus uates, qui bene coniectare nouit. Itaq; mihi minime bonæ mentis inditia uidebantur. Verſatile collū, ui brâtes humeri, & uiaſſim exultantes. A ſpectus triſtiſ, oau li paſſim

22
PVERIS.

li passim uagantes, & trualentiam præ se ferentes. Pedes
instabiles, & alternis geniculantes. Nasus contumeliam
spirans & fastidium. Habitus oris ridiculus, quoquo mo-
do se componeret, Cachinni immoderati Hiatus ingens,
nuere, renuere tacitum, sermo interruptus. Interro-
gationes confusaneæ ac stultæ. Responsiones mhilo sa-
niores, & ad irridendum auditorem compositæ, nullo or-
dine incogitantè effusæ. Quid singula depingam Talis mi-
hi antequã accederet ad Remp. uisus est, qualem post-
stea res gestæ ostenderunt. Et si qui adessent corũ
qui ibi uel audierunt, uel animaduenterunt
illa, hos testes facerem, me, postq̃ illa uis-
di, dixisse, O quantum malum alit
Respub. Romana,

Impressum Cracouiæ per Hieronymum Victorem
Anno. M. D. XXVIII,

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or date, written in a cursive script.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BIBLIOTE: SVYTY



JAGELLONICKA

maxerentia, hujus fossite

partes v. duo folia olim

Donati minoris aut olim

D

